



...inus.

Bieżanowski Stanisl. Jos. Sacrae os aureum eloquentiae, doctorali theologicae laurus adorea coronatum.






SACRÆ
Os Aureum
ELOQVENTIÆ,
Doctorali Theologicæ laurus adoreâ
CORONATVM,
DVM
Religiosus, & Adm̄. Rn̄dus in Christo Pater
F. MARINVS MROSZKOWSKI,
Ordinis Carmelitarum Sacræ Th. Magister, Conuentus Cracou: in Arenis B. M. VIRGINIS,
Concionator Ordinarius, longeq; meritissimus,
IN ALMA VNIVERSITATE CRAC:
PER
Clarissimum, & Amdùm. Rdùm Dominum,
M. NICOLAVM SVLIKOWSKI,
Sacræ Th. Doctorem, & Professorem, Collegam Maiorem, Ecclesiæ Collegiatæ S. FLORIANI Canonicum,
Cancellarium Siradiensem.
emerito in signi doctrina, præclarisq; virtutibus, Doctoratûs
In Sacra Theologia honore,
IN NOBILISSIMO MAGNORVM HOSPITVM CONCVRSV,
& inter votiuos gratulantium applausus,
INSIGNIRETVR,
A M. STANISLAO IOZEPHO BIEZANOWSKI, Leopol: Ph. Doctore, Coll. Min. Ordinario Poëseos Professore,
In argumentum propensissimi affectus, debito tot meritis, & virtutibus encomio
CELEBRATVM.
Anno Verbi Incarnati 1666. Die 12. Mensis Octobris.

CRACOVIÆ,
Apud Heredes & Successores LVCÆ KVPISZ, *S.R.M. Typogr.*

IN STEMMA SACRI ORDINIS CARMELITANI.



Ignea Carmeli ſuada eſt, vis ignea ſuadæ,
    Vrere cor flammis, & penetrare potens.
Stellarum placido, duodeni luminis, igne,
    Sinequeant mentes, ad meliora trahi;
Armatam mucrone manum parat, inſtat, & vrget;
    Totaq; fit zelo flammea, tota câlens.
Incineres conſumpta abeunt his pectora flammis;
    His tamen à flammis, poſſe perire, Salus.



SACRÆ
Os aureum
ELOQVENTIÆ,
Doctorali Theologicæ laurus adoreâ
CORONATVM:
Victricis animorum eloquentiæ,
coronas qui numerat, manubias computet.
Trophæa vbiq; habet, quæ non erigit; coronas meretur, quas non ambit;
tum vel maximè coronata,
cum eam coronæ, cætusq; hominum triumphantem in rostris coronant.
Totus, quod inferarum spelæa non desierit, debet illi orbis,
ad mutua comertia, coronasq; vocatus.
Amphionum miracula,
motasq; ad cytharam, immobiles abruptarum rupium moles, frustra comminiscimur;
Non Thebas solùm,
suaui concentu impulsa, ad coronam mænium, conuenêre saxa,
sed quidquid vspiam, è saxea Deucalionis progenige, tractabile factum,
nec dum planè in saxum obriguit;
humanitatis iura, vitæq; socialis coronam,
eloquentiæ debet.
Animorum hæc Regina
quàm dignum coronâ caput, ad insignia virtutis extulerit;
aureas eius catenas vide.
Darij quidem pretiosis compedibus,
seruile iniectum, captiuitatis opprobria non abstulit aurum.
Aureas eloquentiæ catenas,
Orbem aliquando gestasse, non puduit;
sæpius oportuit, decuitq;;
qui non alias liber, nisi sic captiuus;
inter vincula sua, potens sui; impotens alias, dignusq; cõpedibus,
nisi sic vinciretur.
cui sic vincere, vincireq; pronum; coronari non insolitum.
Meruit hoc Tibi, humanâ maior, diuinæ vis eloquentiæ,

Religiose, & Adm. Rnde Pater
MARINE MROSZKOWSKI,
SACRÆ Th. NeoDoctor Dignissime.
Quæ cum Ioues ipsos Sceptris, cum Mercurio, ex armare potuerit:
quid ni ad coronas Doctorales assurgat?
Huc eam,
Regia virtutis viâ, aspirare semper voluit:
qui vitæ Spiritum Tibi Asceticæ, sacer Heliæ Spiritus, inspirauit.
Os Eloquentiæ Aureum,
mentis aureæ vestibulum prodit:
quàm pretiosum sit, quod in Te pretium sui celat.
Aureum cortina Delphica, quem celabat tripodem,
oraculorum reuelauêre pretia.
ex quo tripode loquatur,
quæ Diuinæ responsa Sapientiæ loquitur,
mentem Tuam oracula eloquentiæ produnt.
Crassus quidem ex aureis mille lateribus,
Delphicis aram oraculis struxit:
oracula Tua, vt super aurum & topazion, pretiosa fierent;
tota misticæ aurifodina Sapientiæ, elaborauit.
Quid ni talia fierent?
quæ post Almæ Vniuersitatis Cracou: Studia,
ocellus Europæ, Saturnia tellus,
inter aurei æui, quæ seruat fragmenta,
tanto tempore formauit, effinxitq;:
vt planè inter Sarmatas, vix nasci posse crederem;
in quo se Italia, tàm natiuã, genuinãq;, ex ore peregrino miretur.
Tua hæc Sacræ eloquentiæ gloria,
cui in ea terrarum parte, triumphare licuit:
quæ orbem terrarum, duxerat olim in triumphum.
A cathedra quippe professionis Theologicæ,
cui VICENTIÆ, Vice REGENS Studij, cum laude præfueras;
ad cathedrarum oracula progressus docuisti;
Promethei ignes, Sarmatica niue non omnino extinctos, habere
quibus ad Italiæ quoq; inflammanda pectora, caleant flammis.
An verò frustra
tàm amicum magnetis cum stella polari fœdus?
Nimirum
Septemtrionali quoq; plagæ, in est aliquid;
quod Exterorum ingenia, sensusq;, vi ad se oculta rapiat.
Attracti-

Attractiua hæc animorum vis,
vel in Te solo suffecerat;
qui è Sacris Orator Ecclesiasticus rostris,
Nobilissimas Italiæ Vrbium,
FLORENTIAM, VICENTIAM, VERONAM,
PATAVIVM, VENETIAS, quin & remotiorem ALBANIAM,
mirâ in medio Italiæ, AVSONIÆ Suadæ gratiâ,
in obseruantiam, amoremq; Tui traxisti.
Florentiæ quoq;, Consultor inquisitionis factus;
Iudicia de Te omnium,
tantâ Sapientissimi iudicij Tui æstimatione, confirmasti;
vt planè dignus, fieres,
quem Serenissima MEDICEORVM Domus,
tanti fæceret, æstimaretq;.
Magno Hetruriæ Duci,
Dilecta nectareioris Tui gratiâ;
Sarmatiam, non ad Vsum tantùm, sed ad delicias quoq; ingeniorum,
pro fecisse ostendit.
Hoc equidem nomini Polono pulcherrimum;
quod Hetruscum nectar suum, vel ipsa Hetruria,
Sapidius in ore Tvo, dignumq; Principum conuictu libauerit
Exijt tùm, de comedente cibus; & de forti egressa est dulcedo;
Dom Mauortius Sarmatiæ Populus,
cultissimas olim gentium, in ore gladij comedens;
ad eam dulcedinem, cultumq; peruenisse visus est;
vt animorum cibum, fauosq;, ad vsq; Italiæ orexim,
in ore Tuo præparauerit.
Sed ne bona sua,
quæ in alienum, solum tam opimè fuderat,
Sola ignoraret Patria:
recepit tandem Nestorem, Cyneamq; suum;
vt qui alibi Pergama, Vrbiumq; infractas vires,
incruentus victor expugnauerat;
Domi quoq; Ilium suum restingueret.
Ex destinatò sanè Alcides hic,
contra Leones, monstraq; peregrina,
in Patriam redijsse visus est;
cùm maxime inualuissent.
vt ostenderet, non deesse suum Poloniæ, igneũ Heliæ gladium;
qui renascentia Hydræ capita præscinderet, adureretq;.

Iericho ntina certè hoſtilis potentiæ mœnia;
ad ſolas huius lampades, tubamq; oris eloquentiſſimi conciderunt.
Quin & Heliam ſuum imitatus,
non vnum è Carmelo, Sacris eloquentiæ ignibus,
Quinquagenarium aduſſit, abſumpſitq;;
Ita dum zelo zelat, pro Domino DEO exercituum;
Suada eius in Caſtris Regijs,
Sagittas Domini contra Aſſur dimittens, caſtrorũ acies ordinauit.

Ad coronas ergo
obſidionales, ciuicas, triumphaleſq;,
ſine ſanguine dum proceſſit;
à magno Regum, Principumq; ſanguine,
coronari elogijs, & inter oracula Poloniæ recenſeri meruit.
Sereniſſimos Principes ſuos,

IOANNEM CASIMIRVM,
Et
LVDOVICAM MARIAM,

Secuta purpurati Senatûs, & ordinum Regni æſtimatio;
Romam quoq; ipſam,
tanti nominis commendatione impleuit.
Aurea certè

Coriciniorum Aſcia,
in eo, quod Tibi, Vir eloquentiſſime, ſtruxerat,
immortalis gloriæ Septizonio;
Sacros aurei oris ſudores,
Faſcia GEMBICIANA dum abſterit, ſeruatq;;
uel ſola ſuffecerat Tibi,
Illuſtriſſ. D. olim STEPHANI de Pilca
KORICINSKI,
Supremi Regni Cancellarij Theologo,
Velut Mœonio quondam Vati, pretioſa Darij Arca;
ex qua pretium Tui cognoſceretur·

Ergone
Doctorales Tibi Theologia neget coronas?
qui tot animorum victorias, ante laurum computas, legiſq;.

Trophea

Trophea Tua cathedræ sunt;
in quibus, cum tot triumphatarum mentium exuuias deposueris,
Laurus sola ad coronidem superest.
Incellit toties coronata per TE,
Diuorum elogijs CRACOVIA;
coronatum nunc laureis; & in sapientiæ Regno,
ad sapientiæ trabeam incedentem, veneretur.
Lætari super eloquia Tua, quibus licuit;
liceat quoq;, super expressa signo sanctitatis corona.
Area laboris Tui, honoris quoq; theatrum sit;
ijdemq; oculi, quos in Te defigi tantopere feceras,
honoratæ virtutis TVÆ, & testes sint, & spectatores.
Dulcé quoq; erit ijsdem auribus;
quas aureis traxeras catenis, facundus Ecclesiastes;
à Doctore quoq; ad sapientiæ arcana trahi:
Labia Tua distilauerunt Myrrham primam;
quidni Encomiorũ ambrosiam, distilent Tibi labia aliena?
Emeritum quidem caput,
coronaûere sæpius niuea Carmeli lilia:
sed inter laborum spinas.
Vallatum nunc lilijs, fulciatur floribus, stipeturq;;
vt in honoris aditu reflorescat.
Nimirùm
Flos illibatus populi, suadæq; medulla
Cum sis;
quidni perpetua in honore Tuo, Floralia transigas?
Deficiebant Te aliquando perorantem horæ, diesq;;
solemq;, ne moueretur contra Gabaon, stare interdum cum Iosue voluisses;
dum tenebras mentium fugas, petrasq; scindis.
Dierum Te quoq; longæui non deficient soles;
quibus luceas, etiam cum oriri desieris:
Venietq; ætas,
quæ lucem Tuam nobis inuidens;
soles ipsos, Sereniùs tum illuxisse censebit;
cùm Tu lampades Tuas, animarum Saluti præferens,
Sacris Eliæ ignibus accendisti.
Gustus eloquentiæ Tuæ, cùm nobis tam sapiat;
Sapiet profectò posteritati tantò sapidiùs;
quantò posterorum iudicia, puriora sunt;
nihilq; ex insipido affectu admiscent.

Sed quis
encomia Tua, votaq; nostra ad numerum reuocet?
Suadam Tuam eloqui; suadæ non nisi Tuæ opus.
Vmbram lucis Tuæ metiri; palmæ non nisi Tuæ mensura.
Tu omnino Tibi ipsi,
Homerus, & Ilias; Nestor & panegyris; Phæbus & oraculum es;
cuius oracula vt nunquam deficiant;
os, aureum, ad responsa Sapientiæ,
Doctoralis ambiat corona.
Sub hoc symbolo,
& rotundum illud suadæ Tuæ decus:
& sæculorum circumferetur, in coronam semper desinens,
quæ nunquam desinit, Perpetuitas.
Hæc TE,
cùm è cathedrarum meritò sequetur;
oris aurei gratia insignis,
Viues in Carmelo MARIÆ perennis,
vel ipso nomine MARIANVS,
ad mare gratiarum
MARINVS.



